4

# RESPONSIO CAROLI SERANE AD SCRIPTUM

## CLAR. DOM. FR. LAMURE, DOC. MED. MONSP. CUI TITULUS EST.

*Pathologicarum de Febre, & Palpitatione lectionum vindiciæ.*

I. TRES quas attuli propoſitiones impugnavit Antagoniſta. Dixi, 1°. Febrem definiendam eſſe per pulſûs frequentiam præter naturalem, ſeu per pulſûs frequentiam cum notabili, & conſtanti functionum læſione junctam. Ille contrà ſtabilire nititur frequentiam pulſûs à Febris definitione ablegandam eſſe, quia nimirùm in Febre malignâ, præſertim incipiente, quæ ab omnibus Medicis Febris nomine ſalutatur, frequentia pulſûs perſæpè nulla adeſt.

II. Dixi, 2°. In Febre ſæpè deeſſe magnitudinem pulſûs, ideòque pronunciavi nullam in Febris definitione pulſûs magnitudinis rationem eſſe habendam. Varia contrà hanc propoſitionem argumenta profert Antagoniſta, novamque Febris definitionem tradit, quâ, eam delineat morbum in quo viſ-

cordis ad vim constantem musculorum voluntati subditorum ratio major est, quàm in statu sanitatis.

III. Observavi demùm Willisium primum fuisse inter Auctores quos noveram, qui palpitationem deduxisset, non ab aliquâ cordis parte exiliente, & solitam vibrationis suæ sphæram transgrediente; sed ab illius totâ compage, vel ejus corpore toto elato, versùsque costas impulso, cujus elationis, & impulsionis causam enucleatè idem Auctor posuerat in dilatatione præternaturali sinuum venosorum, aliarumque partium basi cordis appensarum. Adversarius verò contendit memoratam causam à Willisio quidem indicatam fuisse, sed tam jejunè, adeò obscurè & mancè, ut vix ac nè vix quidem ejus inventæ, saltem demonstratæ gloria concedi illi possit, cum spissis adeò tenebris in illius opere involvatur, ut per plura sæcula potuisset ibi incognita, & obvoluta delitescere.

IV. Harumce trium ( I. II. III. ) propositionum veritatem, totidem articulis propugnabo, simulque variis Antagonistæ objectionibus respondebo. Sit itaquè.

## ARTICULUS PRIMUS.

*IN quo Febris definitur per frequentiam pulsûs cum notabili, & constanti functionum læsione junctam, & in quo solvuntur Adversarii objectiones à Febre malignâ desumptæ.*

V. Duplex morborum definitio tradi solet; vel enim colligitur ex phœnomenis quæ essentialiter morbum definiendum concomitantur, vel deducitur ex causâ morbi proximâ. Prior definiendi methodus, quoties adhiberi potest, utilior sanè clariorque habenda est, ut potè quæ signa exhibeat manifesta, & sensibus obvia, quibus Medici sufficienter perculsi, ad tractandi morbi cognitionem, & diagnosim tutâ facilique viâ perveniunt cujus morbi semel cogniti fomitem, & causas severo

ſcrutinio indagare aptiùs exindè valent.

VI. Hanc autem methodum imprimis in Febris definitione ſequendam autumo, quia plerique morbi Febre ſtipantur, ideòque illius præſentis cognitionem & diagnoſim maximè neceſſariam duco, totiusque praxis fundamenta conſtituere cenſeo.

VII. Hisce rationibus ( V. VI. ) innixus talem Febris definitionem dederam in unâ ex prælectionibus pathologicis, obſervando nimirùm Febrem numquam adeſſe ſine pulſûs frequentiâ, nec non ſine notabili & conſtanti functionum læſione; neque viciſſim unquam iſtæc adeſſe ſymptomata, quin Febris præſens à clinicis declararetur; ſicque cum ſummis in Arte Viris Febrem definieram ſtatum in quo pulſûs adeſt frequentia, cum notabili & conſtanti functionnm læſione juncta.

VIII. Contra hanc ( VII. ) Febris definitionem ſurrexit Antagoniſta egregius, eoque tantum ſuam cenſuram ſtabilivit fundamento, quod febris maligna vera Febris eſſet, nullaque tamen in eâ, ſaltem incipiente, pulſûs frequentia perſæpè obſervaretur, ideoque me, & mecum omnes fere neotericos errare pronuntians, aliam allata Febris definitione ſuperexaltavit, uti gloriabatur, meliorem.

IX. Utrùm mihi ſic provocato Silere licitum fuiſſet, æquis rerum æſtimatoribus dijudicandum relinquo: in ſequenti ergò prælectione impugnatam Febris definitionem deffendere ſuſcepi, ſed modeſte, & intra ſtrictos, uti decet, decori limites conſiſtens. Obſervavi neque verè, neque exactè ab Antagoniſtâ validiſſimo fuiſſe pronuntiatum in Febre malignâ, etiam incipiente, pulſûs ſæpe deeſſe frequentiam; cujus aſſerti demonſtrandi causâ ſingulas pulſûs in Febre malignâ varietates exploravi, ut exinde innoteſceret nullum in eâ tempus reperiri, in quo pulſûs frequentia non adeſſet.

X. Notavi varium eſſe in Febre malignâ pulſum, eumque pro temporum varietate, pro diverſis morbi indole, gradu, ſævitie, pluribus que aliis circumſtantiis mirum in modum variis in ſubjectis mutari: non infrequenter enim, aïebam, eum

ſanorum pulſum æmulari, vel parum à ſtatu naturali recedere, præſertim in intiis, cum dein creſcente morbo plurimum à genuinâ integritate deflecteret; non nunquam admodum celerem, & concitatum deprehendi, interdum vel in ipſo morbi initio formicanti ſimilem, minimum & frequentiſſimum apparere, perſæpe demum paruum, languidum, mollem, depreſſum, occultum, inæqualem, & intermittentem obſervari; idque addidi, ut nihil circa naturam pulsûs in Febre malignâ intactum relinquerem, ſatis ſæpe evenire aliquot diebus ante morbi invaſionem, ſummam adeſſe virium oppreſſionem, anxietatibus, animi torpore, appetitûs langore, ſenſuum hebetudine, aliiſque ſymptomatis ſtipatam, quamvis adhuc nulla obſervaretur mutatio in pulſû, qui ſæpè, ut aïebam, preſcriptâ in eo caſu venæſectione ſtatim à naturali deflectit, & morbi jamjam declarati initium præbet: huncce autem ſtatum non in morbi præſentis hiſtoriâ includendum eſſe cautè monui, ſed illius brevi futuri præludium, vel prodromum conſtituere. Hæc eadem mei verba refert Antagoniſta validiſſimus in ſuo ſcripto (pag. 9.) ſed ea minùs exactè transfert ad initia ægrotationis jàm declaratæ, ut exindè Lectoribus ſuadeat apertè me protuliſſe in ægrotationis jàm præſentis, & declaratæ initiis nullam quandòque deprehendi pulſûs frequentiam. An bonâ fide mea adulteraverit verba, ſit penes ipſum judicem, fidumque ſui ſcrutatorem.

XI. Cum memoratas (X.) pulſûs varietates tantâ cum cautelâ expoſuiſſem, cumque ex datâ enumeratione apud Expertos conſtaret, nullum ex his eſſe qui cum frequentiâ ſimul obſervari non poſſet, jurè credebam partem eam noſtræ litis cum eximio Antagoniſtâ jàm brevi fore componendam, eumque allatis rationibus ceſſurum, & ad alia tranſiturum.

XII. Res tamen aliter ceſſit, & propoſito inhærens Adverſarius me in ſequenti prælectione iterum carpere fuit aggreſſus, diverſas imprimis auctoritates adhibens ex ſennerto, Riverio & celeberrimo archiatrorum comite (a) deſumptas, quibus

(a) D. Chycoineau.

auctoritatibus

auctoritatibus an ritè usus, an potiùs abusus fuerit brevi palam fiet. Finitâ Antagonistæ lectione Cathedram conscendi, ut Antagonistæ alterius hoc die locuturi, & quem morbo quodam detineri eo ipso horæ momento nuntiatum fuerat, vices supplerem; neque certè arduum mihi fuit leves adversarii objectiones confutare, observando nimirùm nullum esse ex allatis Auctoribus qui ipsi faveret, illos econtrà ab Antagonistâ seorsum penitùs sentire, nullum ex iis locum fore unquam educendum qui pulsûs frequentiæ in Febre malignâ adversaretur, pluraque è contrario ex illis citari posse quibus memorata pulsûs frequentia nitidissime in eâdem Febre stabilitur: verùm inter eos Auctores eum imprimis selegi quem mihi nominare dulcius fuit, & quem præstans hujusce licæi decus & præsidium veneramur omnes, & colimus. Mirum certè mihi visum fuit Antagonistam validissimum incautè adeò celeberrimi Viri auctoritatem adhibuisse, qui illius opinionem directè oppugnat, & annihilat, nudis & nitidissimis verbis in suâ Thesi de Febre malignâ asserens (pag. 3.) *Eam Febris speciem cum signis cæteris Febribus acutis essentialibus aut familiaribus, nimirum cum horrore, rigore; pulsûs frequentiâ &c.* se prodere, neque reponat Antagonista illustrissimum Archiatrum observare. (pag. 7.) *In Febribus male moratis pulsum non infrequenter inter initia sanorum pulsus æmulari, vel parum à statu naturali recedere*, eumdemque egregium virum addere (pag. 5.) *pulsum persæpe in Febribus malignis, parvum, languidum, mollem, depressum, occultum, inæqualem, & intermittentem explorari.* Nullùs enim ex illis pulsibus excludit frequentiam, ut jamjam fuit notatum (XI.) & uti fusius commonstrabimus.

XIII. Expositis observationibus, aliisque rationum momentis, quas brevitati consulens omitto, objectionibus mihi propositis satisfeceram, & cum nihil aliud Antagonista in suâ prælectione mihi opposuisset, idque solummodo postulasset, ut dicta typis mandarem, illi provocationi statim respondens trés propositiones memoratas (I. II. III.) vivâ voce in eâdem lectione enuntiavi, quas Auditores rogavi ut veluti prælo

commiſſas ; & in marmore inſculptas haberent, id inſuper addendo quod ſi alia mihi vel præſenti ſermone, vel ſcripta objicerentur, ad reſpondendum ſemper eſſem paratus, neque unquam laborem recuſaturus; monui interim me ex Cathedrâ ſemper reſponſurum, cum in ſupremo tribunali lis noſtra eſſet, de cujus judicibus, ut pote ſagaciſſimis, non ego is eram qui cum Antagoniſtâ crederem ſapienter dici poſſe,

*Segnius irritant animos demiſſa per aurem*
*quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus*,

Vera hæc eſt rei illius expoſitio, quam hic tradidi, ut hiſtoriæ veritatem reſtituerem, & ut ſimplici geſtorum narratione, vanæ Antagoniſtæ declamationi in ejus ſcripti (pag. 2.) reperiundæ reſponderem.

XIV. Pridie meæ ultimæ prælectionis miſſum ad me fuit Antagoniſtæ egregii ſcriptum, quod me lecturum promiſi, eique ex Cathedrâ reſponſurum, tempore triduanarum diſputationum, in prælectionibus nimirum quas tunc temporis eſſem habiturus; ſed cum hodie certus ſciam eas prælectiones brevibus coercendas fore limitibus, ut diſputationi tempus detur, cumque eas utiliori materiei impendere aptius judicem, concilium mutavi, meamque reſponſionem litteris conſignare decrevi; quæ reſponſio ſaltem quoad pulſus in Febre malignâ frequentiam, tum ex dictis, tum ex jam addendis non difficulter eruetur.

XV. Nunc ut palam ſit quam ingenuè cum Antagoniſtâ litem agam, illi apertè, & ſine fuco plauſus impertio quod (pag. 3. & 4.) ſui operis diverſas Auctorum optimæ notæ auctoritates attulerit, & imprimis celeberrimi iſtius Academiæ Profeſſoris (*a*) qui in primâ eximii de Febribus tractatûs paginâ monet, *utut Febris morbus frequens adeo à medicis obſervetur, interea tamen neque denotis ejus caracteriſticis conſtare apud eos, neque de ejus eſſentiâ*, ſed eâdem ingenuitate fatebor plu-

(*a*) D. Fizes.

rima in iisdem Antagonistæ paginis esse, quæ reprehensionis digna mihi videntur; attendant enim lectores benevoli quare tanta opinionum dissentio in prælaudatis auctoribus reperiatur, ejusque dissentionis rationem explorent, in ipsius adversarii opere, loco citato, videre facile erit plerosque ex illis secundam definiendi methodum, pathologicam nimirum adhibuisse, seu Febrem per causam illius proximam delineasse: Fernelius enim aïebat calorem præternaturam è corde in omne corpus effundi; Willisius Febrem esse fermentationem seu effervescentiam immodicam sanguini & humoribus inductam clamabat: Bellinus per vitium sanguinis, &c. Eam definiebat, sicque de plerisque aliis uti videre est apud ipsum Antagonistam. Quare ergò ea non observavit adversarius? Quare consequenter non conclusit Febris definitionem pathologicam ablegandam esse, ut potè incertam, facile mutabilem, medicorum systematicorum libidini, fictionibus, erroribus, subditam? Quare mihi bonâ fide non adhæsit, qui in primâ meâ prælectione monueram morbos symptomatice quantum fieri posset, definiendos esse, ut de signis eorum characteristicis, & de variarum ægritudinum præsentiâ, vel absentiâ constaret inter medicos? Quare imprimis celeberrimi Professoris quem citaverat vestigia sequi recusavit, & quare illius verba reticuit ejusdem tractatûs de Febribus (pag. 2.) sic loquentis. *Quærendum itaque signum Febris pathogomonicum de quo non ambigat apud medicos*, & consequenter Febrem practicè definientis, *per pulsus frequentiam cum notabili functionum læsione*? Quare demum Antagonista ipse plerorumque ex illis quos citaverat exemplum sequutus fuit febrem pathologicè definiendo, eamque sic delineando, ut dicere audeam nullum esse, etiam inter exercitatissimos qui ex tali tradita Febris imagine Febricitantem unquam dignoverit?

XVI. Jure igitur eumdem scopulum vitavi, debitumque sequutus fui tramitem quando quamcumque Febris causam ab illius definitione amovendo signa tantum quæsivi pathognomonica, quibus præsentibus præsens ipsa ab omnibus clinicis

declaratur, quibusque absentibus ipsa declaratur abesse. Sic enim procedendum judico ut tutis, certisque diagnoseos principiis Medicinæ studiosi imbuantur, quorum præcedente fulgore, ipsisque viam præmonstrante ad praxim feliciores accedant. Utrum vero à proposito deviarim asserens ad Febris essentiam pulsûs desiderari frequentiam, ex Antagonistæ objectionibus patebit, quæ examinandæ supersunt.

XVII. Citationes adhibet adversarius ex sennerto, Riverio, Etmullero, Bellini, illustrissimoque Regis Archiatro dessumptas, quibus patet interdum in initio Febris malignæ pulsum esse ferè connaturalem, & pulsui sanorum simillimum (*a*) vel inter initia Febris malignæ sæpè pulsus esse naturalibus similes, aut non multùm ab iis discrepantes apparere solere (*b*) vel pulsus in initio naturali similes, &c. (*c*) vel pulsum aliquandò naturali similem (*d*) vel in Febribus malè moratis pulsus non infrequenter inter initia sanorum pulsus æmulari, vel parùm à statu naturali recedere (*e*)

XVIII. Citationes hæcce (XVII.) è dictis Autoribus desumptæ quidem fuerunt neque in ullâ ex his culpanda Antagonistæ fides. Sed nonnè advertunt omnes, nonnè & ipse debuisset advertere nullam ex his esse quæ ipsi faveat, & cunctas econtrà ipsi directè adversari? Quid enim ab eximiis Autoribus, locis citatis, refertur? Nihil certè aliud, nisi sæpè juxtà quosdam, vel interdùm juxtà alios, pulsum in initio Febrium malignarum parùm à naturali deflectere, & in meis prælectionibus cautè idem notaveram. Sed sequiturnè exindè quòd nullatenùs tunc pulsus à natuali deflectat? Judicium ipse Antagonista pronunciet. Nonnè econtrà iis ipsissimis verbis (VII.) declaratur pulsum à naturali tuuc deviasse? Credet-ne aliquis tot Viros eximios vim verborum optimè callentes istas voces, *similis*, *simillimus*, *æmulatur* adhibendas judicasse; si pulsus verè naturalis ab iis fuisset deprehensus?

(*a*) Riverius prax. med. lib. 17. sect. 3. de Febrib. pest. cap. 1. (*b*) Sennertus de Febrib. lib. 4. chap. 10. (*c*) Etmuller. (*d*) Bellini edit. lugd. batav. pag. 250. (*e*) D. Chycoineau the. de Febrib. malig.

Nonnè

Nonnè econtrà evidens eſt tamdiù inter duo entia aliquam ſupponi diverſitatem, quamdiù ſimilia, vel ſimillima tantùm dicuntur, vel quandò unum ex illis aliud æmulari ſolummodò declaratur ? Quid ergò dictis reſpondebit Adverſarius? Certè ſi ejus loquendi modum adhibere mihi liceat (pag.3.) *fatebor mihi aquam hærere, neque enim vel ex illius Logicâ reſponſi formulam eruere poſſum*, plura tamen dicenda mihi ſuperſunt; nam ut ſtatim memorem loca ab Antagoniſtâ citata, aſſerit Riverius initio Febris malignæ pulſum eſſe FERE connaturalem : ſupponit ergò Riverius pulſum non eſſe tunc OMNINO connaturalem. Notat Sennertus ſæpè pulſus naturalibus ſimiles eſſe, aut non multùm ab iis diſcrepantes: ergò juxtà Sennertum datur diſcrepantia quædam. Obſervat demùm, ut alios taceam, illuſtriſſimus Archiater, pulſus non infrequenter, pulſus ſanorum æmulari, vel PARUM A STATU NATURALI RECEDERE : ergò docet Vir ſemper colendus verum dari pulſus receſſum à ſtatu naturali, quonam caſu igitur evenit tot illuſtrium Auctorum teſtimonia nitida adeò, & peremptoria contrà ſe ipſum ſic cumulatim protuliſſe Antagoniſtam?

XIX. Nunc autem inſtituti officii ratio invitum cogit me ut gravioribus telis adverſarium urgeam : eum enim culpandum cenſeo, cum Auctorum quos ipſe citavit varia reticuerit, quæ ſi ingenuè retuliſſet, verâ & apertâ luce fuiſſet demonſtratum quid vere circà naturam pulſûs cum in Febre in genere, tum ſpeciatim, in Febre malignâ ſentirent, & quàm eſſent alieni ab Antagoniſtæ opinione. Sennertus enim licet Febrem per calorem in corde accenſum, &c. Definiat (*a*) docet tamen pulſus in ea ſemper edi frequentiores (*b*), & agens alio loco (*c*) de Febris malignæ & peſtilentialis differentiâ à peſte ait *Febres malignas & peſtilentes eſſe ubi morbus non excitatur ſine putredine & proindè non ſine Febre*; ex quibus cum pateat, 1°. Sennertum ſemper in Febre pulſûs frequentiam admittere; Et cum conſtet, 2°. eumdem declarare in Febre ma-

(*a*) Sennert. libr. 1. de febre in genere, cap. 1. (*b*) Idem ejuſdem libri cap 30. & epit. libr. de febr. cap. 30. (*c*) Practic. libr. 6. part. 2. cap. 1.

lignâ, Febrem ſemper adeſſe, nonnè exindè evidenter ſequitur eum Auctorem ab Adverſario penitus diſſentire, & pulſus frequentiam, veluti Febris malignæ comitem individuum habere. 2°. Riverius quibuſdam lineis ſuprà locum ab Antagoniſtâ citatum diſertiſſimis verbis pronuntiat; *ſymptomata inter ſe non ſervare eamdem proportionem in Febribus malignis quæ in vulgaribus reperitur, itaut calor ad tactum mitis, pulſus non valdè immutatus* EXIGUAM FEBREM *oſtendant.* Voluitnè ergò Riverius Febrem excludere, quandò dixit pulſum non valdè immutatum eſſe, vel ferè connaturalem, vel pulſui ſanorum ſimillimum? Nonnè declaravit potiùs, ut liquet ex ipſo textu Febrem tunc equidem adeſſe, ſed adeſſe exiguam. 3°. Etmullerus de Febribus in genere agens (*a*) affirmat *certum illud eſſe quod Febris in genere ex nullo poſſit meliùs cognoſci, quàm ex pulſû nimis frequenti, aut ex pulſû nimis frequentiori quàm naturaliter eſſe debet.* Addit deindè verba iſta. *Ubi verò citra manifeſtam cauſam pulſus eſt frequens, habemus ex ipſo ſignum pathognomonicum Febrium quarumcumque... Pulſus imprimis in Febribus eſt frequens, cui poſtmodùm adjuncta alia ſymptomata ſpeciem Febris certam determinantia;* laudatque demùm ſylvium aſſerentem; *pulſum frequentem eſſe ſignum pathognomonicum Febrium.* Peto ab Antagoniſtâ meritiſſimo, utrùm verba clariora & energica magis quis poſſet Etmullero ſuggerere, ut ſuam mentem circà naturam Febris aperiret; cumque ex jam citatis (VII.) pateat clariſſimum hunc Virum Febrem admittere in ipſis Febris malignæ initiis, poteritne negari pulſûs frequentiam ab eo tunc pariter fuiſſe admiſſam? Demùm quid reſpondebit Antagoniſta ſummæ Archiatrorum comitis auctoritati, qui diſertè aſſerit (*b*) Febrem malignam *cum ſignis cæteris Febribus acutis eſſentialibus, aut familiaribus, nimirùm cum horrore, rigore,* PULSUS FREQUENTIA *ſe prodere?* Quid præſertim reponet interroganti cur eum locum omiſerit, cujus exiſtentiam non ignorabat, de quâ eum publicè in meâ prælectione commonueram. Si tamen de meditatæ reticentiæ culpâ purgare ſe

(*a*) Etmuller de morbis humani corporis in genere, cap. 17. (*b*) Loco citato XVII.

velit adverſarius, ideòque affirmet ſe, dùm ſcribebat, ad illuſtriſſimi Archiatri verba non attendiſſe, nequè legiſſe loca, è Sennerto, Riverio, & Etmullero citata, lubenter illius aſſertioni fidem habebo; ſed mihi licebit concludere eum requiſitam in citandis his Auctoribus diligentiam non adhibuiſſe, quorum fragmenta quæ retulit intento animo erant perpendenda, & quorum inſuper non fragmenta ſolùm, ſed opera integra debuiſſet evolvere.

XX. Conſtat igitur ex Auctorum ſuffragiis quos ſibi favere jactitabat adverſarius veram adeſſe pulsûs frequentiam, vel in ipſis Febris malignæ initiis; nunc autem cum prælaudatis Auctoribus mihi iterum notare liceat, Febrem, tunc temporis præſentem, non raro exiguam eſſe, ſeu quod idem ſonat, pulſum tunc parùm eſſe Febrilem; (*a*) ſic clariſſimus Ferrein initium deſcribens Febrium malignarum quæ anno 1741. Lutetiæ Pariſiorum graſſabantur *pulſus*, inquit, *bonus, niſi quod Paulo exilior, & crebrior; brevi intentior fit & citatior*, (*b*) ſic pariter galenus peſtilentiam ſui temporis deſcribens ait. *Qui ſane affectus vel optimos medicos fallunt, quod nunc quoque in maximâ peſtilentiâ accidit: quidam inde ab initio ad finem uſque, alii per totum morbum pulſum probum habebant, qui per parum deflexiſſet de naturâ, qui quidem præter cæteros perierunt*, (*c*) nihil ergò mirum ſi quidam in pulſu tunc dignoſcendo verâ que Febris præſentia ſtatuendâ errarent; ſed potuit ne adverſarius magnum chiracii nomen adhibere, cujus hæc verba tranſcribit, (pag. 5.) *pulſum in Febribus malignis*, quarum obſervationem tradit, *ad quartum uſque diem parum micaſſe (parvum & depreſſum) tunc vel fere ſimilem* NATURALI *vel naturalem, vel maxime Febrilem, vel debiliſſimum evaſiſſe ad uſque morbi finem.* Si hæc apud Illuſtriſſimum Chiracium vere reperirentur, certe liqueret celeberrimum hunc medicum pulſus naturales obſervaſſe in Febre malignâ, cujus hiſtoriam tractat; ſed locus ille ab adverſario parum exactè exceptus fuit, in

(*a*) D. Fizes theſ. de Febr. malignâ. (*b*) D. Ferrein de Febr. malignâ. (*c*) Galenus.

quo nimirum non legitur, pulſum ſimilem NATURALI, vel naturalem fuiſſe, ſed vel FERMÉ SIMILEM (*a*) vel naturalem fuiſſe obſervatum, eamque ipſam traductionem admittit Antagoniſta (p. 9.) nunc autem quærere ab adverſario liceat quid vox FERME *ſimilis* ſignificet, quandò ſola reperitur? Nonnè deſignat id quod dicitur FERME SIMILE cum alio comparari, cum quo ſimilitudimen habet? Fuitnè unquam aliquis qui eam vocem ſolam ſenſu quodam determinato gaudere crediderit? Potuitnè ergò ſummus Chiracius hanc ſic ſolam & ſignificatione carentem adhibere? potuitnè dicere egregius ille Vir pulſum eſſe, VEL FERME SIMILEM, VEL NATURALEM? Si talia proferre audeat Adverſarius circà Auctorem omni famâ ſuperiorem, vix aliquem trahet in ſui partes, vixque ac nè vix quidem credet illi Judæus Apella; nonnè igitur evidens hic mendum adeſſe, idque eò irrepſiſſe facilius, quòd unica littera O, ſubſtituta litteræ A, errorem conſtituat? Mirum certè Lectori videbitur Antagoniſtam, cujus ſolertiam in diſtinguendis Typographorum erroribus nemo unquam attinget, nunc à ſe ipſo ſic defeciſſe. Verùm ſi Adverſarius quatuor adhuc, vel quinque lineas poſt eas ab ipſo citatas legiſſet, vel ſi lectas candidè retuliſſet, evanuiſſet ſtatim verborum ambiguitas, nequè ullum ſuperfuiſſet errori ſubterfugium: notat enim expreſsè Chiracius *Febrem* in memorato caſu *ſingulis diebus ſub veſperam, exacerbatam fuiſſe* (*b*) aderat igitur Febris cum eam ſingulis diebus ſub veſperam exacerbatam fuiſſe pronuntiet Chiracius: pulſus ergò NATURALIS non erat & redarguendus Antagoniſta, quia verba clariſſimi Viri accuratè non exhibuit.

XXI. Hiſce omnibus ritè penſitatis (XVII. XVIII. XIX, XX..) quid de citationibus quas veluti ſibi faventes adhibuit adverſarius ſit ſentiendum cuicumque Lectori palàm eſt. Nunc autem ut in nullâ parte videar defeciſſe, obſervationem tau-

(*a*) Chirac, Traité des Fiévres malignes & peſtilentielles, pag. 50. il devenoit preſque ſemblable, ou naturel ou très-fiévreux, &c. (*b*) Chirac, la Fiévre redoubloit tous les ſoirs.

vrianam,

vrianam, & è viſone prolatum locum examinabo. Tauvrius apud juvenem Febre malignâ laborantem quintâ morbi die accerſitus pulſum LENTUM, & depreſſum reperiit. Sic Antagoniſta. ( pag. 5. ) Quid verò exindè concludat, invitùs in lucem profero : evidens enim eſt eum pulſûs lenti, & pulſûs rari diſcrimen non habuiſſe perſpectum : alioquin talem auctoritatem quæ contra me nè minimùm pugnat procul dubio non attuliſſet : ut verò ſuum de pulſûs rari, & lenti identitate errorem deponat, illuſtriſſimi Chiracii opus iterùm adeat, ubi ( pag. 305. ) celeberrimi Galliarum Archiatri (*a*) obſervationem reperiet, qui à Rege ſelectus ut Maſſiliam Peſte devaſtatam ſervaret, quinque notavit Peſte affectorum claſſes, in quarum primâ explorabatur in ægris *pulſus exiguiſſimus*, *mollis*, *LENTUS*, *FREQUENS*, *inæqualis*, *concentratus*, adeat & ipſum quem citavit Tauvrium, ex quo audiet pulſum celerem PLERUMQUE cum frequenti conjungi, undè concluditur eos ſimul NON SEMPER adeſſe. (*b*) Diſcat demùm ex eodem Tauvrio pulſum celerem aliquandò cum raro conjungi (*c*) pulſum ergò lentum, & frequentem non ſeſe invicem excludere ex illuſtriſſimi Archiatri auctoritate diſcet Antagoniſta, pulſumque lentum & rarum non unum, & eumdem eſſe ab ipſo quem citavit Tauvrio edocebitur ; iiſque auctoritatibus addenda ſunt Auctorum omnium ſuffragia, qui à Galeni temporibus de pulſuum differentiis ſcripſerunt, & ex quorum lectione, non ſecus ac ex unanimi Medicorum conſenſu, evidentiſſimè conſtabit memoratas ſpecies cautè ab invicem eſſe diſtinguendas, & pulſus crebritatem ſeu frequentiam cum ejuſdem tarditate quandoque adeſſe ; ſic Sennertus. *Si verò valdè debilis eſt virtus*, *pulſus eſt parvus*, *tardus*, *CREBERRIMUS*, *debilis* (*d*) ſic idem agens de pulſû in Peſte, ait. (*e*) *Ubi verò venenum vires ſumpſit*, *& cor expugnavit*, *pulſus fiunt parvi & languidi FREQUEN-*

(*a*) D. Chicoineau... (*b*) Tauvri, Traité des Maladies aiguës, tom. 1. cap. 10. p. 72. le Poux VITE, eſt D'ORDINAIRE joint à des battemens FREQUENS. (*c* Idem loco citato... Quelquefois il arrive que le Poux fait d'une manière fort preſte ſa Diaſtole & ſa Siſtole, mais QU'IL NE BAT PAS SOUVENT. (*d*) Sennertus Inſtit. Med. lib. 50. part. 1. ſect. 4. cap. 9... (*e*) Senner. de Febr. lib. 4. cap 4.

*via tamen aliqua, ut pote quæ facilior est, servatur, nec non aliqua* VELOCITAS : *postquam autem venenum plane jam invaluit,* VELOCITAS ET IPSA ABOLETUR, *etsi propter parvitatem & frequentiam, falsam celeritatis speciem præ se ferant ; ex quo patet* SOLAM FREQUENTIAM *harumce Febrium esse proprium.*

XXII. Solâ loci citati expositione confutatur Antagonistæ objectio desumpta è visone (pag. 6.) à quo profertur in Febre non essentialiter accrescere sanguinis motum, nequè essentialiter in eâ fieri validiorem fibrarum oscillationem. Idem ego prorsus sentio, & binæ hujusce assertionis veritatem non in prælectionibus solum contrà Antagonistam defendi, sed & eamdem propugno in 2°. istius scripti articulo. Mirùm ergò videbitur eum contrà seipsum plagas texuisse, eo fortasse deceptum quod adversus me militare crediderit verba præcedentibus subnexa, quibus declaratur in Febre malignâ à coagulo pendente, talem non observari adauctam velocitatem. Sed ignoratnè Adversarius, si veram sanguinis velocitatis ideam habeat, sine eâ adauctâ, imò cum eâ imminutâ magnam posse adesse in pulsû frequentiam ? Attendat igitur ad illa quæ in adauctæ sanguinis velocitatis ideâ essentialiter includuntur, & conditiones exploret quibus pulsûs adaugetur frequentia ; sicque cauto instituto examine, duo hæc non invicem essentialiter concurrere exploratè perspiciet.

XXIII. Actum est igitur de omnibus Antagonistæ citationibus quas non adeò ipsi faventes, ut potiùs è directo adversantes facile videre est. Restant tantum quædam pulsûs varietates, quas cum ejus frequentiâ simul non posse deprehendi, si non apertè declarat, saltem minus attentis insinuare nititur Antagonista. Sic Chiracii verba exhibens (p. 5.) duo hæc epitheta *parvum & depressum* parenthesi intercludit, ut indicet procul dubio binum hunc pulsûs statum ejus excludere frequentiam. Sic pariter citans illustrissimum Archiatrorum comitem (pag. 6.) notat pulsum ab eo describi in Febre malignâ persæpè parvum, languidum, mollem, depressum, occultum, inæqualem & intermittentem.

XXIV. Sciat autem ex ipso Archiatrorum comite nullum ex illis pulsibus esse, qui cum pulsûs frequentiâ non adsit, cum expressè notet illustrissimus Archiater pulsûs frequentiam esse de Febris malignæ essentiâ. Eamdem veritatem discat ex Fernelio (*a*) qui de Febre malignâ & pestilente agens ait. Cum maligna pestilensve Febris simplex est, & solitaria, citra putridam, pulsus languidus, parvus, frequens, celer, omninòque inæqualis existit. Eamdem pariter discat veritatem ex Sennerto qui loco præcitato (XXI.) *pulsus parvos & languidos, cum frequentiâ subsistere*, verbis nitidis declarat. Idem observet à Riverio notatum fuisse in loco quem ipse citat (pag. 4.) *in progressu tamen, & morbi augmento* pulsus *frequens, parvus, debilis apparet*. Idem legat in Lommió qui pulsum in Febre pestilentiali explorans (*b*) eum declarat esse *exiguum, languidum, celerem, frequentem & inæqualem*. Idem pariter in Deleboe sylvio qui de pulsu Febris malignæ agens, sequentia verba profert, (*c*) *pulsus* FREQUENS *quidem est, ast* SIMUL *parvus & debilis, & modis omnibus inæqualis, quandoque intermittens, aut deficiens*. Adeat adhuc primerosium pulsus tradentem in Febre pestilentiali explorandos, & dicentem (*d*) *pulsus quoque parvos esse languidos; frequentes si vires cordis fuerint admodum labefactatæ.... in universum autem, celeres, frequentes, inordinatos, inæquales*. Demùm evolvat egregiam quam de Febre malignâ scripsit dissertationem Professor hujusce lycæi illustrissimus (*d*) ubi leget *pulsum in eâ aut non multum abscedere quoad frequentiam, & magnitudinem à statu naturali, aut parvum esse, obscurum, frequentem, correptum, inæqualem*.

XXV. Cum relatæ ab Antagonistâ clarissimo citationes (A 17. ad 24.) energice adeò contrà eum pugnent; necessarium proculdubio fuisset, ut quibusdam aliis, subsidiariis saltem, eas corroborare fuisset annixus. Verum timuit (p. 7.) ne *in*

(*a*) Fernel. de Febr. lib. 4 cap. 17... (*b*) Lommius observationum Medicinalium lib. 1... (*c*) Deleboe Sylvius, praxeos Medic. lib. 1. cap. 13 (*d*) Primerosius lib. 4. de Feb. (*d*) D. Fizes.

*nimiam molem excresceret illius opella*, *& ostentationis suspicionem* voluit avertere; circà quod notare licitum sit, quod cum eæ quas in medium attulit nullâ ex parte conferant ad adstruendam primæ illius propositionis veritatem, nullus, uti credo, adeò iniquus fuisset qui ulteriorem ejus laborem comdemnasset. Cum tamen post hæc scripta circà primum articulum, manum de tabulâ abducere aptum judicaverit, ita & ego dictis nulla addam, neque alias citationes innumeras afferam, ut prolixus nimis non habear. Ex dictis colligere mihi satis erit perperam credidisse Antagonistam alicujus ponderis esse, quæ contrà me profert (pag. 7. 8. 9.) evidens enim est ea integre ruere, ut pote falsâ suppositione innixa, cum ibi declaret Adversarius me pulsûs frequentiam, saltem in Febris malignæ initiis aliquandò excludere, à quo sentiendi modo semper alienus fui: cum ergò præter illam quam à Febre malignâ desumebat objectionem, nihil tum in ejus scripto, tum in prælectionibus dictum fuerit, quod receptam à Medicis Febris definitionem impugnet, certum est immotam eam stare, & nimium properasse Antagonistam, dum me & *omnes fere mecum errare neotericos* in consultè pronuntiavit.

XXVI. Intactum igitur superest pulsum frequentem unum esse è symptomatis Febris pathognomonicis, seu Febrem essentialiter concomitantibus, eamque definitionem in quâ Febris depingitur per pulsûs frequentiam cum notabili & constanti functionum læsione conjunctam, omni & soli definito convenire, eamdem definitionem veram & adæquatam Febris ideam adimplere, ideoque salvis bonæ definitionis legibus posse, & debere à nobis retineri. Cum autem jam prægressa nullo ratiocinio, sed solâ observatorum fide fuerint comprobata, nodum hunc solutum jam esse, satis superque patet.

# ARTICULUS SECUNDUS.

## *In quo ſtabilita ſecundæ Propoſitionis ( 2 ) veritate , Febris definitio ab Adverſario tradita ( 2 ) refellitur.*

XXVII. Pulſûs magnitudinem in Febre ſæpè deeſſe clinicis notum eſt, ideòque de eâ in Febris definitione mentionem non eſſe habendam ex principiis ( 5. 6. ) anteà ſtabilitis liquet. Primum non negat Antagoniſta ; ſed de pulſûs magnitudinis vi per ejus magnitudinem apparentem judicandum non eſſe contendit, ſæpiuſque in praxi evenire affirmat, pulſum reverâ intenſum, debilitatis ſpeciem præ ſe ferre, idque premens argumentum vires cordis in omni Febre intendi aſſerit, earum rationem ad vim muſculorum voluntati ſubditorum majorem obſervari declarat quam in ſtatu ſanitatis, vires iſtas muſculares eâdem proportione imminui ſupponit quâ vires cordis adaugentur, ideoque in ſtatu febrili turbari pronuntiat fluidi nervei diſtributionem, ita ut majori ratione ad cor, & arterias devehatur, minori vero ad muſculos voluntati ſubditos, tandemque ſtatuit in iis caſibus, in quibus præſente Febre vis pulſûs abſoluta minor fit, in majori adhuc ratione vires muſculorum decreſcere.

XXVIII. Hiſce ſtabilitis fundamentis ( 27 ) à clinicis poſtulat Adverſarius, ut de præſentiâ, vel abſentiâ Febris ritè, & melius quam hucuſque judicent, 1°. Vires cordis æſtimari, eaſque inter ſe comparari, tum in ægro, tum in ſano deprehenſas ex hygraulicis. 2°. Vires muſculorum pariter æſtimari, eaſque inter ſe in ſano, & morboſo ſtatu conferri. 3°. Rationem cognoſci quæ videtur ſervari, quamdiu ſanitas perſtat, inter vim cordis, & muſculorum voluntati ſubditornm. 4°. Demum modos inquiri varios quibus dicta ratio turbari poteſt, quibus ſic perpenſis *iſtud oraculum profert* Febris ab omni clinico declarandam eſſe præſentiam, quoties memorata ratio ita turbatur, ut in eodem ſubjecto ægrotante vires cordis ſerventur in majori ratione ad vires muſ-

culares, quam in ſtatu ſanitatis; unde iſtam concluſionem veluti conſectariam elicit, Febrem definiendam eſſe *ſtatum in quo vis cordis ad vim* CONSTANTEM *muſculorum voluntati ſubditorum ratio major eſt quam in ſtatu ſanitatis*; notatque eam definitionem ſimplicem eſſe, nitidam, veram, & Febris idæam adæquatam, & integram adimplere. Hæc autem omnia examini nunc ſubjiciam, prænotans vocem iſtam, CONSTANTEM, definitioni ab Antagoniſtâ olim traditæ additam fuiſſe, cui additamento natales procul dubio dedit objectio jam memoranda (29. 30.)

XXIX. Prægreſſa (27. 28.) meditanti, & Antagoniſtæ hipotheſim ſedulo revolventi manifeſtum erit vis cordis in omni Febre relativè ad muſculorum vires intenſionem gratis ab eo ſupponi, neque ullum tum in ejus Prælectionibus, tum in integro illius operejactum fuiſſe fundamentum, quo fictio hæc, aliaque ab ipſo ſuppoſita vel leviſſimè innitantur. Patebit inſuper huic aſſertioni obſervationes innumeras directè adverſari, inter quas in meis prælectionibus citatam hic iterum revocabo, exemplum nimirum ſpeciei phrenitidis, in quâ ægri naturâ tenues, & imbecilli tanto robore ſæpius pollent, ut vix à robuſtoribus valeant contineri. Fatetur Antagoniſta in eis phreneticis *adauctum apparere motum muſcularem* ſed ſtatuit *vires vitales in majori ratione creviſſe* idque *cuicumque attendenti ad frequentiam pulſûs maximam, ad ejus duritiem, tenſionem, ad ſanguinis viſcoſi tenacitatem, obſtructiones vaſorum quæ in hoc morbo ab omnibus agnoſcuntur*, perſpicuum eſſe contendit. Eſto, ſi Adverſario lubeat, & ut à propoſito non divertam; ex his omnibus indicari vires vitales magnum ſumpſiſſe roboris gradum: quid inde colliget Antagoniſta? Nihil certe aliud, niſi ſimul adauctas vigere tum cordis, tum muſculorum vires: dubium ergo non exinde ſolvetur utrum æquale, vel intenſiùs virium incrementum cor aut muſculi ſuſceperint, & conſequenter neceſſe erit ſignum aliquod diagnoſticum certum, & nitidum ab Adverſario proponi, quo in majori ratione cordis, quam muſculorum vires creviſſe certus

ipſe fiat, aliiſque oſtendat: donec autem tale ſignum attulerit, veraſque propoſuerit deſideratæ diagnoſeos regulas, illius aſſertio veluti baſi deſtituta, & citato phrenitidis exemplo penitus adverſa habebitur.

XXX. Cum muſculorum vires ſæpè in phrenitide adauctas eſſe fateri cogatur Antagoniſta, & cum ſignum nequeat exhibere quo vires cordis in majori ratione creviſſe demonſtret, cauſæ procul dubio diffidit, ideoque novam molitur viam, ſtatuendo nimirum vires muſculorum in phrenitide obſervandas *pro conſtantibus habendas non eſſe* (p. 18. 19.); ſed eæ vires *pro conſtantibus* habendæ ſunt, ſi tribus, quatuor, aut ſeptem diebus, integro nempe phrenitidis eſſentialis tempore vigeant, & ſi pariter in phrenitide ſymptomaticâ per omne exacerbationum tempus perſtent indomitæ, quæ ambo ita ſe habere declarat Adverſarius. Utrum vero ex notâ ab eo ſuperadditâ, phrenitidem ſcilicet eſſentialem morbum rariſſimum eſſe, fructum percipere queat, mente à præjudiciis liberâ ipſe videat; utrum pariter ex illius effato, phrenitidem eſſentialem affectu ſoporoſo ſæpe terminari, aliquid contrà virium muſcularium, eâ vigente, conſtantiam jure concludi poſſit, cujuſcumque judicio lubens permitto, ſimulque lectori, cujus momenti ſit additamentum in Febris definitione ab Antagoniſtâ ex cogitatum (28), ut difficultatem à phrenitide deſumptam effugiat, ſtatuendum relinquo.

XXXI. Verum exigit Adverſarius (p. 16), ut alios in exemplum morbos afferam: ſint ergo Febris putridæ initium in quo ſemper adeſt pulſûs depreſſio, Febris maligna, in quâ pulſus ita quandoque imminuitur ut vix appareat, frigus febrile tum in continuis, tum in intermittentibus, Febres demum algidæ, & ſyncopales: quæro ab Antagoniſtâ utrum vires cordis in memoratis caſibus adauctas, vel imminutas eſſe illi pronuntiare lubeat: Si primum, tradat ergo ſignum quo inaudita hæc veritas Medicis innoteſcat, & quo ad Ægrum accedentes id virium incrementum dignoſcant. Si ſecundum, ſignum pariter exhibeat quo clinicis conſtet eas quidem im-

minutas esse, sed in minori ratione quam musculares.

XXXII. Sint etiam Febres hecticæ, & lentæ symptomaticæ, in quibus vim pulsûs minorem observari, quam in statu naturali concedit Adversarius (p. 15.) quæro ab eo quomodo hanc in minori ratione decrevisse cognoscat quam musculares? Respondet *vix verbis exprimi posse debilitatem ægrotantium qui vix loco Læpiùs sese movere possunt.* Esto, ut propositum urgeam, sed cum vires utræque decreverint, superest ei exponendum qua arte primas in minori, secundas vero in majori ratione decrevisse dijudicet. Donec autem mirum sui arcanum orbi medico detegat, juxtà ejus principia possibile nulli erit de eorum ægrotantium Febre vel minimum pronuntiare. Quid demum respondebit Antagonista si paria quæsita instituam circà mortis agonem, aliaque hujusce generis plurima? Verum illis ultro supersedeo, dicta enim sufficiunt ut Febris definitionem ab Adversario traditam à genuinâ longè alienam esse demonstrem; si quædam tamen ut, quid de eâ sit sentiendum, ulterius statuatur, mihi addere liceat, bina exempla referam, primum ex anthrace desumtum, in quo cum pulsû debilissimo, ægri vim musculorum voluntati subditorum ita aliquando exercent, ut ambulent, & varia sui munia obeant: quâ arte tunc, si sententiam teneat, Febrem adesse comperiet Antagonista? Secundum ex Febris malignæ nondum declaratæ præludio deducetur, in quo sine ullâ in pulsu mutatione, virium muscularium adest oppressio: quæro quâ viâ in isto casu Febrem nondum declaratam esse dignoscet?

XXXIII. Nunc vero ut ex eis quæ mihi opponit adversarius, nulla ex consulto videar omisisse, quædam memoratis subjungam, ut ipsius methodi vitia innotescant, quantitatem sanguinis è corde projecti æstimat magnitudine pulsûs (p. 10.), sicque amplum erroneis computationibus locum præbet: constat enim determinatam cruoris copiam minus arteriarum parietes ab axi fore diducturam, si sanguis densior sit, magis è contra si minori densitate donetur, unde ratione diversi,

&

& infinitè variabilis rarefactionis gradûs, modo major, modo minor diastoles ab eâdem propulsâ è corde sanguinis quantitate expectanda erit. Constat pariter diversam ab eâdem sanguinis mole producendam esse arteriæ diastolem, prout ejus sectio permanens major, vel minor erit: si enim in arteriam cujus determinata sit sectio, è corde emittatur sanguinis uncia, cujus basis sit arteriæ dilatatæ sectio, & longitudò quatuor linearum, ejusdemque arteriæ radius nunc quâcumque de causâ duplus fiat, sectionem illius quadruplam exinde evasuram evidens est; unde si vis cordis eodem stet gradu, memorata sanguinis uncia quadruplam sectionem pro basi habens unicâ pollebit longitudinis lineâ? In tali ergo suppositione manifestum est eamdem transituram fore sanguinis copiam, seu sectio arteriæ subquadrupla, seu quadrupla fuerit; neque tamen eadem erit in utrâque sectione radii elongatio, quâ pulsûs magnitudo, vel exiguitas dignoscuntur: minus enim illius augmentum in sectione quadruplâ, majus è contrà in sectione subquadruplâ requiretur, unde cum causæ dentur innumeræ quæ permanentem arteriarum sectionem mutare queunt, & cnm adeò multiplices sint ejus mutationis gradus, diversa omnino cum eâdem cruoris è corde projecti quantitate pulsûs magnitudo poterit observari. Constat demum quod, si cuncta tum ad sanguinis densitatem, & permanentem arteriarum sectionem spectantia, tum ad oppositos sanguini obices attinentia, ex quibus miræ in diastole variationes exoriri queunt, paria supponerentur, malè tamen ex solâ magnitudine pulsûs sanguinis projecti quantitas æstimaretur: cum enim pulsu majore, sed rariore, minor intrà datum tempus, decem, v. g., horæ minuta secunda, cruoris moles transmitteretur, quam cum pulsu minori, sed crebriori, modò in majori ratione increvisset frequentia, quam decrevisset magnitudo; idemque argumentum ad pulsûs celeritatem transferri debet: si enim pulsus major sit, sed tardior, minor intrà idem tempus transibit sanguinis copia, quam si pulsus equidem sit minor, sed celerior, modò celeritatis augmentum

F

in majori fit ratione quam magnitudinis decrementum; ex quibus evidenter liquet, sepositis de industriâ omnibus quæ in praxi ineluctabiliter occurrunt, & quæ ejusmodi æstimationem, & comparationem, quantum ad artis exercitium satis esset instituendas, dubias, & vanas redderent, nunquam tamen ex solâ magnitudine pulsûs, molem sanguinis è corde projecti æstimandam fore.

XXXIV. Circà velocitatis quâ sanguis è corde emittitur æstimationem pariter à viâ recessit eximius Antagonista, dum eam magnitudini, & frequentiæ pulsûs per se multiplicatis respondere asseruit (p. 11.) si enim in casu proposito (33) cum subduplâ magnitudine pulsûs, dupla supponatur adesse frequentia, eadem juxtà Antagonistæ hypothesim debebit adesse velocitas: in eâdem enim ratione increvit frequentia, quâ magnitudo decrevit: ejus tamen corollarii falsitas evidenter exinde patet, quod in sectione quadruplâ duæ requirentur contractiones, ut sanguis duas percurrat lineas, cum in subquadruplâ sectione singulis pulsationibus quatuor emetietur: subdupla ergo velocitas erit quæ eadem ex Antagonistæ computationibus æstimaretur.

XXXV. Demum quod ad resistentias attinet, citat adversarius (p. 11.) quantitatem sanguinis permanentis, gradum viscositatis animadversum, perpensos affrictus, & cognitam parietum resistentiam, quorum omnium, inquit, signa traduntur à semeioticis, sicque sine ullo labore res illi expedita videtur: verum si cuncta sic habeat virtuti suæ prona esse, pari indulgentiâ de clinicis ei non est sentiendum: plures enim, neque certè infimæ notæ circà hæc quatuor promptè nimis, & juveniliter judicium statuere renuerent, & uti opinor, eorum cunctationem sapientes non condemnarent: si enim quæram ab Antagonistâ, utrum facile sit summam earum resistentiarum in ægro, & in sano æstimare, & inter se comparare, utrum singulam ex iis certis liceat numeris præfinire, utrum cuncta hæc promptè expediri queant à clinico intrà tempus præsertim quod ad Febris præsentiam, vel absentiam

declarandam insumitur, utrum demum medicorum unanimitas in illis stabiliendis sit expectanda? Quid tot quæsitis respondebit? Et rursus si quæram ab eo quâ veritatis specie mihi tribuat (p. 12.) *nolle à medicis earum resistentiarum ullam haberi, aut haberi posse rationem in æstimandis cordis viribus?* quid iterum reponet? Et quomodo æquam reprehensionem effugiet? Cum meas prælectiones non occlusis foribus, sed in conspectu senatûs iatrici, & egregiæ auditorum coronæ semper habuerim; cumque omnes plura de iisdem resistentiis disserentem me audierint, & disertè propugnantem summè ad eas esse attendendum, ut cordis vires supputentur, unde cum eas æstimandi, & inter se in morbo, & sanitate conferendi difficultatem demonstrassem, simulque ostendissem clinicos in hisce æstimatione, & comparatione instituendis in diversissimas partes ituros, contrà antagonistam apertè concludi, ex ejus hypothesi sperandum non esse, duos unquam centum inter Medicos reperiri, qui de Febre præsente, vel absente idem pronuntient.

XXXVI. Ubi semel vires cordis tum in ægro, tum in sano deprehensæ ex hygraulicis æstimatæ, & inter se comparatæ fuerunt, exigit Adversarius (pag. 12.) antequàm de Febre pronuntietur, vires musculorum pariter examini subjici, *& inter se comparari in sano, & morboso statu*; & dein *doctrinæ gratiâ magis perspicuæ, vi illâ* (Musculorum) *in actualem, & potentialem divisâ*, methodum tradit utramque mensurandi, aitque (pag. 13.) *potentialem cognoscendam præbere solum sensum internum, quo sibi quisque* (*non mente captus, aut delirus*) *conscius est similes effectus* (a) *aut etiam intensiores à se exeri posse absquè defatigatione;* additque *vires constantes esse in ratione compositâ vis actualis, & potentialis*, quæ ergò in ægro, & in sano eodem homine sunt inter se conferendæ, ut methodus exindè eruatur *comparandæ vis musculorum constantis in statu morboso relatîvè ad statum sanum.* Verùm semel notato, vires constantes non esse in ratione compositâ vis actualis, & potentialis, sed tantum valere utriusque summam, ideòque cir-

(a) Multiplices exantlatos labores, & exercitia varia.

cà illud errare Antagonistam, quis insuper, vel primo hujusce expositionis intuitu non advertit, sensû interno sæpè falli ægrotantes qui summis viribus se pollere autumant, dùm eæ vel oppressæ, vel debilitatæ plurimùm sunt? Quis non advertit pariter plurimos ex Adversarii opinione nascituros fore casus, in quibus clinico impossibile erit aliquid de Febre statuere? Quoties enim æger *vel mente captus erit, vel delirus*, vel apoplecticus, vel affectû quocumque soporoso detentus, vel etiam quoties dormiet, quoties surdus, aut mutus erit, quoties interrogatus à Medico respondere recusabit, quoties nequè Medici interrogantis idioma intelliget, nequè pariter à Medico intelligetur, quoties infans erit, nequè adhuc voces sciet reddere, vel præ ætatis teneritudine parùm congruenter eas reddet, quonam fundamento fulciet Medicus, quânam basi munibit judicium quod circà vis potentialis æstimationem, & comparationem habebit, & quomodò vires quæ in sano fuerant dignoscet? Circà primùm silet Adversarius; quoad secundum, *satis* inquit, *edocent Medicum* (pag. 13.) *interrogatus æger, aut adstantes*; sed memoratis in casibus nequit æger respondere, & adstantes vel possunt deesse, vel si adsint, sæpè sæpiùs, uti notum est, Medicum adeò non edocent, ut potiùs eum, nisi expertus sit, in errorem inducant: res tota, inquiet Antagonista, *constare poterit approximatione ex inspectione ægrotantis, temperamenti, staturæ, vitæ genere, & similibus*: verùm inspectio ægri, ejusque statura ad illius vires (præteritas in primis) dignoscendas sæpissimè fallunt, & cum æger non respondeat, sæpiùsque adstantibus sit ignotus, plura deerunt ad illius temperamentum, & vitæ genus cognoscenda. Nullæ ergò suppetiæ tunc Medico cum Antagonistâ sentienti supererunt, quibus tum potentialem, tum quæ in sano fuerat vim comperiat, & quibus consequenter de Febre præsente, vel absente aliquid non solum pronuntiare, sed etiam quid minimùm, vel levissimè suspicari valeat. Ergò vel seorsum sese colligens, vel cum aliis in consilium vocatis loquens, vel ab adstantibus temerariò nimis interrogatus, utrùm æger

febriat,

febriat, necnè? Fateri cogetur, si candidè loquatur, se illius rei plenissimè esse ignarum, & paulò minùs circà hæc quæsita sapere quàm vulgus, & ipsæ mulierculæ. Nè quis autem, existimet me quid nimis dixisse, audiatur ipse Adversarius mihi planè assentiens (pag. 17.) & jamjam à me dicta suâ auctoritate disertè confirmans. *Patebit*, inquit Antagonista, *cur in apoplexiâ, caro Febrem adesse non sit pronuntiandum, quia in hisce casibus NULLATENUS MEDICUS INSTITUERE POTEST comparationem inter vires vitales, & musculares, propter abolitos penitus sensus internos, quibus tamen indiget, ut, quantum satis est erudiri possit.*

XXXVII. Sic veritatis viam deseruit Antagonista: perperam enim; & contrà vividum experientiæ lumen, virium cordis in omni Febre relativè ad musculorum vires intensionem supposuit (29.), neque signum exhibuit quo talis quam sibi animo fingit virium vitalium intensio clinicis innotescat (29. 30. 31. 32.): præthereà ad virium cordis æstimationem tùm in ægro, tùm in sano instituendam suâ methodo nunquam perveniet, (33. 34. 35.) neque pariter vires musculorum voluntati subditorum in sano, & in ægroto tum indagare, tum inter se comparare poterit (36.); ideoque impossibile illi erit comparationem inter vires vitales, & musculares in sano, & in morboso statu instituere; unde cum conditionibus destituatur quæ juxtà eum essentiales sunt, ut certa Febris determinetur diagnosis, nunquam de Febre præsente, vel absente tutè loquetur. Notet tamen Adversarius *doctrinam de Febribus maximè necessariam esse, & tantum non fundamentalem, cum nullus detur morbus ferè, qui non sit conjunctus cum Febre* (*a*) exin sentiet forsitan quam necessarium sit hipothesim quamlibet ablegare in tradendâ Febris definitione, & quam sapienter egerit Professor illustrissimus (*b*) qui *simptoma pathognomonicum* quæsiit, quod nunquam in Febre non reperiendum, certum illius foret indicium,

(*a*) Etmull. de morb. corp. cap. 17. (*b*) D. Fizes. trac. de Febr. p. 2.

& qui Febrem practicè definivit per *pulsûs frequentiam præternaturalem*, *seu per pulsûs frequentiam cum notabili, & constanti functionum læsione.* (15.) Deffinitio hæc, quam simul admittunt omnes ferè artis magistri, tanto lumine fulget, ut experti clinici, si centum ad ægrum accedant, de Febris præsentiâ, vel absentiâ judicaturi, idem semper de eâ pronuntiabunt, cum è contrà ex eo numero vix duo futuri sint, qui vigente Antagonistæ hipothesi ad eundem sentiendi modum adduci queant.

XXXVIII. Nunc autem lubens mihi adopto propositionem Antagonistæ in fine p. 13 reperiundam quâ asserit, *quamdiu sanitas perstat*, *quamdam rationem videri perpetuo servari inter vim cordis*, *& musculorum voluntati subditorum*, & cum eo pariter admitto, *intrà limites sanitatis*, *viribus circulationis crescentibus*, *vim quoque constantem musculorum crescere perpetuo*, *decrescente priorum energiâ*, *posterioris efficaciam labefactari*, *seu imminui*, quæ omnia optimè confirmantur observationibus, quas dictis subjunxit Adversarius, sicque verissimum est, uti monuit Pitcarnius, (*a*) vires naturales esse in datâ proportione ad vitales, & utrasque in datâ proportione ad vires animales; sed iis semel notatis, observo possibile non esse rationem quæ inter eas adest determinare, eamque veritatem agnoscit ipse Antagonista, dicens (p. 14.) *quamvis præcisè rationem datam determinare non possimus.* Ergo ex iis vel nihil concludendum venit quod ad Adversarii hypothesim applicetur, vel si aliquod exinde eruatur corrollarium, certè ejus opinioni adeo non favebit, ut potius illi è directo adversabitur, cum juxtà citatum locum, talis sit ratio, ut viribus circulationis crescentibus, vis quoque constans musculorum crescat perpetuò, & decrescente priorum energiâ, posterioris efficacia labefactetur, seu imminuatur, & cum propositiones ab Antagonistâ allatæ (27. 28.) ad suam de Febre firmandam hypothesim, istis sint ex diametro oppositæ.

(*a*) Pitc. elem. med. brev. consp. prop. 112.

XXXIX. Ex dictis hùcusque liquet quid de propositione Antagonistæ sit sentiendum, qui statuit (p. 14.) *Febrem esse morbum, in quo vis cordis ad vim constantem musculorum voluntati subditorum ratio major est, quam in statu sanitatis*, ideoque ulteriori disquisitioni supersedeo; sed mirum procul dubio lectori videbitur, adversarium (p. 15.) RATIONEM HANC titulo signi Febrium pathognomonici decorare. Quis enim ignorat semeioticem callens, *signum vocari apparitionem sensibus perceptam, ex quâ perceptâ Medicus dignoscit aliquid à signo diversum, & quod nesciret, nisi hanc apparitionem percepisset* (*a*), ideoque de signi essentiâ esse, saltem ut sit manifestum, ita ut possit à medico adverti. *Signum est quidquid manifestius existens potest nos ducere in cognitionem illius quod est occultius: de ratione signi est, quod sit manifestum* (*b*) & licet notet Fienus de ratione, & essentiâ signi non esse, ut sit cognitum sensu, asserit tamen post aliquot lineas, pleraque signa esse sensu cognita, & illa optima, & securissima esse, ut pote cum ea optimè cognita sint, quæ sensu percipiuntur. Ergo de naturâ, & essentiâ signi saltem est, ut sit manifestum, & quod multò magis desiderandum, ut cadat sub ipsos sensus; unde si in morborum definitione signa tradantur à medicis, quæ sensibus percipi queant, signa hæc optima, & securissima habenda erunt, morbique cognitio exinde exurgens, melior, perfectiorque evadet. Verum ejus modi conditiones, vel earum minimam imaginem reperiet ne aliquis in ratione hâc sæpius ab Adversario memoratâ, quæ adeo signum non est, ut è contrà signo ipsa indigeat quod hùcusque ab Antagonistâ traditum non fuit, & quod nunquam ab eo exhibebitur. Hanc tamen rationem habet Adversarius non solum veluti Febris signum, sed etiam, ut nihil ad dignitatem desit, veluti signum Febris pathognomonicum, circà quod audacter affirmari potest, ni vehementissimè fallor, vix unquam, vel unum ab Antagonistâ reperiendum fore; qui illi hâc in re assentiatur, vel saltem docilis hic discipulus diù quærendus erit.

(*a*) Comment. Boherr. semei, gener. 871. (*b*) Thom. Fien. sem. p. pr. sect. 1. cap. 10.

XL. Sic credo neutiquam enixum fuiſſe Adverſarium ut meam de Febre propoſitionem everteret (2) in quâ, semèl notato magnitudinem pulſûs in Febre ſæpe deeſſe, nullam conſequenter illiùs mentionem in febris definitione habendam eſſe pronuntiaveram; eamque propoſitionem immotam adhuc ſtare, & inconcuſſam confido. Sic pariter ex dictis ſequi exiſtimo irritos fuiſſe Antagoniſtæ conatus in ſtabiliendâ ſuâ Febris definitione, quæ procul dubio à nemine judicabitur vel perfectam, & adæquatam Febris ideam adimplere, ut ſtatim jactitabat Adverſarius, vel etiam POSSE DARI, uti illa modeſtiori titulo nunc PROFERTUR (p. 10.) nodus igitur iſte circà pulſûs in Febre magnitudinem, & circà vis cordis in eâdem intenſionem vel abſolutam, vel etiam relativam ſatis ſuperque ſolutus eſt.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *In quo probatur veritas tertiæ Propoſitionis (3) ſimulque Antagoniſtæ objectionibus reſpondetur*

Præſentis articuli diſquiſitioni non immorarer, in quo cui adhæſi de cordis palpitatione theoriam non impugnat Antagoniſta, ſed facti controverſia eſt, in cujus veritate elucidandâ, legere ſatis eſſe autumo auctorem à me citandum: verum cum Adverſarius ſuâ loquendi, & ſcribendi ratione dilucidè oſtendat, ſeſe doctrinâ ſolâ adverſùs me non pugnare, quædam hic ſubjiciam, ut quæcumque illius tela repellam. Expoſitâ palpitationis cauſæ theoriâ in ſæpe citatâ prælectione, (7) ſub ejus finem candidè obſervaveram, uti exigebat inſtituti officii ratio, Williſium primum fuiſſe inter auctores quos noveram, qui palpitationem deduxerat, non ab aliquâ cordis parte exiliente, & ſolitam vibrationis ſuæ ſphæram tranſgrediente, ſed ab illius totâ compage, vel ejus corpore toto elato, verſuſque coſtas impulſo, cujus elationis,

verſuſque

versûsque costas impulsionis causam enucleatè idem auctor posuerat in dilatatione præternaturali sinuum venosorum, aliarumque partium basi cordis appensarum. Cum autem nihil sit in hâcce Willisianæ opinionis expositione, quod in ipso willisii textu non Reperiatur, nunquam credidissem Antagonistam, vel alium in auctorum lectione versatum voluisse hæc impugnare. Meum tamen adhuc memet fefellit judicium: existimavit enim adversarius sibi, ut pote Antagonistæ, quamcumque lædendi facultatem arripere licitum esse: itaque in sequenti quam habuit prælectione, surrexit adversus me, quod de palpitatione loquens debitam professori illustrissimo Parisiensi (*a*) gloriam denegassem, addiditque Willisium nullam in integrâ suâ explicatione rationem habuisse sinuum venosorum, sed stabiliisse solummodo dictam cordis elationem, ejusque versus costas impulsionem à radicibus vasorum, seu, ut aïebat, adversarius à solâ præternaturali arteriarum aortæ, & pulmonalis dilatatione dependere; notavitque Antagonista reverà istam causam aliquid in nonnullis casibus ad palpitationem inducendam concurrere, unde conclusit quod cum Willisius cordis versus costas impulsionem primus admisisset, poterat equidem de eo dici, memoratam *causam ab illo indicatam fuisse, sed tam jejunè, adeo obscurè & mancè, ut vix ac ne vix quidem hujus inventæ, saltem demonstratæ gloria concedi illi posset, cum spissis adeo tenebris in illius opere involveretur, ut per plura sæcula potuisset ibi incognita & obvoluta delitescere.*

XLII. Sic dolosam, multiplicemque sui animi solertiam mihi, & cuicumque auditori demonstravit adversarius. Verum nullatenus fictâ hâc imputatione commotus, quâ certus eram quod Professor egregius se capi non pateretur, ne vel minimum inerti antagonistæ declamationi respondere aptum judicavi; sed propositum premens, ut meæ defensionis cogebat necessitas, apertè demonstravi adversarium Willisii textum non intellexisse, cum credidisset Willisium per ra-

(a) Dom. Ferrein.

dices vaſorum ſola audiiſſe aortæ & pulmonalis initia, & cum conſtaret ſinum utrumque venoſum ab eo radicum nomine pariter fuiſſe inſignitum; quod ut evidenter oſtenderem, locum citavi è Williſio deſumptum (*a*) ubi venæ pneumonicæ deſcriptionem tradens, dicit *venam eam in ſiniſtro cordis ventriculo* RADICATAM *eſſe*, & alium pariter ex eodem Auctore locum excerpſi (*b*) ubi in fine memoratæ deſcriptionis ait, *inſuper nè ſiniſter cordis ſinus* (*c*) *à ſanguine impetuoſius irruente obruatur unquam, naturæ inſtinctu fibris in* VENÆ RADICE *contractis, curſus ejus inverti, & retrofluere poteſt*; quæ ut certiùs conſtarent, loca è Williſio citata in omnium oculis poſui. Quis ille fuit tunc, qui cum ità compreſſum videret Antagoniſtam, eum tandem ſiſtere gradum non judicavit; ſed veluti notavi in unâ ex meis prælectionibus, jacta erat alea, ideòque putavit Adverſarius honorem ac famam exigere, ut rectè à ſe factum fuiſſe quoquo pretio deffenderet.

XLIII. Hâc ultimâ ratione (42. impulſus proculdubio Antagoniſta, tertium circà cordis palpitationem articulum duobus præcedentibus ſubjunxit, in quo ſapienter ſilens de ſuo circà radices vaſorum errore (41. 43. mecum jam idem ſentit, & hanc vocem in eodem ſenſu intelligit quem ei tribuerat Williſius. Verùm cum circà alia propoſitum urgeat, ulterius mihi demonſtrandum ſupereſt Williſium verè admiſiſſe, tanquam palpitationis cauſam, dilatationem radicum vaſorum, ſub quo nomine comprehendit initium arteriæ aortæ & pulmonalis, ſinuſque venoſos, cum quibus auriculas unum idemque cavum conſtituere notum eſt: pariter probandum mihi incumbit eum memoratam cauſam non ſolummodò indicaſſe, ſed clarè & enucleatè expoſuiſſe, eamque tamquam veram & ſolam palpitationis cauſam in quocumque caſu tradidiſſe; quibus omnibus addendum Williſium obſervationibus, & Cadaverum apertione ſuam opinionem firmaſſe. Hæc ſi ritè exequar, uti textus

(*a*) Vvilliſius de Med. oper. in corp. hum. part. 2. ſect. 1. cap. 1. (*b*) Villiſius ibid. verſùs finem deſcriptionis venæ pneumonicæ. (*c*) Per ſinum ventriculum audit.

ipſe abſque commentario exequitur, quid reponendum habebit Antagoniſta?

XLIV. Williſius perpenſis pluribus cauſis ad palpitationis explicationem tradi ſolitis, ſic ſuam opinionem proponit. Quapropter ſuper hâc re *ſerio magis cogitanti, demùm animo occurrit quod dum cor ad ſanguinem è ſinubus* (ventriculis) *ſuis excludendum contrahitur, atque mucro, & latera undique concidunt, & propiùs adducuntur; ſi tamen ſanguis illicò totus quâque ſyſtole penitùs ejici, & eliminari nequeat, neceſſe erit vaſorum radices ad ſummum impletas, & plurimùm extenſas cum impetu quodam exilire, dein propter reverberationem hîc factam, totam cordis compagem valdè concuti.* (*a*) Refert poſteà Williſius obſervationem de quâ inferiùs, & hâcce obſervatione traditâ, cauſam exponit palpitationis cui æger, dùm vivebat, erat obnoxius, eamque explicationem iſtis verbis terminat. *Quapropter dùm cor exclusioni ejus totali ſummæ adlaborans, unâquâque ſyſtole juxtà conum, & medietatem intus contrahitur, & quoad magnitudinem imminuitur, baſis ejus ob ſanguinem ibi coacervatum, ac in tranſitu hærentem aut reverberatum. valdè impleta extuberat, atque propter auriculæ molem magis tumida ampliùs evibrat, & latus attollit.* Dicit deindè idem Auctor. *Videtur enim quòd cor ſolùmmodò palpitat, quatenùs in ſyſtole ejus, dùm conus & latera ſimùl contracta auguſtantur, baſis cum vaſorum radicibus, ob ſanguinem illic aggeſtum, & nonnihil hærentem, aut repercuſſum, ampliata extumeſcit.* Addit adhùc. *Cùm itaque morbi iſtius cauſa conjuncta, ſive ratio formalis omninò in ſanguinis circà baſim cordis, & vaſorum radices remorâ, & aggeſtione conſiſtat, &c.* Demùm ut innumera taceam, caput enim integrum citandum eſſet (*b*) cùm in alio loco plura expoſuerit circà palpitationem quæ timorî, triſtitiæ ſubitæ, pudori, amori, aliiſque pathematis animi conſternationem, aut confuſionem magnam inducentibus ſupervenit, ſic explicationem ſuam concludit. *Deinde ſi huïc ſanguinis remoræ cordis ad ſanguinem injiciendum*

(*a*) Vvilliſ. Pharmac. ration. ſect. 6. cap. 3. (*b*) Idem, cap. 3. ſect. 6. jam cit.

*pulsatio fortis, & vehemens superveniat, necesse erit ob cruorem quâque systole in cordis basim ejectum, ubique repercussum partes plurimum distendi, proindeque palpitationem cardiacam inferri;* quibus ità positis, aliisque pluribus omissis, tædii vitandi ratione, nonnè patet ex locis citatîs absque ullius Commentarii ope, reverà Willisium palpitationis causam deduxisse à sanguinis in vasorum radicibus coacervatione, in transitû hærentiâ, remorâ, aggestione, undè ad summum juxtà eum implentur, extenduntur, ampliantur, extumescunt hæcce radices, sicque extuberantes, cum impetû quodam exilientes, ampliùs evibrantes, cor reverberant, totam illius compagem concutiunt, undè latus attollitur, proindèque palpitatio infertur. Advertant autem Lectores benevoli nullum ex illis verbis quibus palpitationis causa energicè adeò exprimitur ex me depromptum fuisse, sed omnia, quot quot adsunt, in textibus willisianis præcitatis adesse. Quid ergò sentiendum de Adversaro qui *licet omnia quæ Willisius habet sedulissime pensitaverit* (pag. 22.) plurima tamen ex dictis in eo non reperiit, aut saltem eorum repertorum vim vel non sensit, vel se sentire dissimulavit?

XLV. Ex multiplici citato textu (42. 43. 44.) luculenter consequitur minùs accuratè locutum fuisse Antagonistam, parùmque sibimetipsi consuluisse, cùm non solùm publicè dixerit, quod grave jam erat, sed cum etiam scriptis consignarit, quod gravius censebitur, Willisium de memoratâ palpitationis causâ *jejunè, obscurè, mancè* egisse, eamque causam apud eum *spississimis tenebris obvolutam delitescere*. Verùm ut omnibus pateat æquam non esse Adversarii censuram, advertam Willisium non leviter, & per transennam quædam veluti furtim de palpitationis causâ strictim tetigisse, sed eam exprofessò tractasse in capite integro jam citato, eamque ità dilucidasse, ut lux ipsa meridiana mente Auctoris clarior non existat. Sequitur statim ex solidis quas affert Willisius rationum momentis, causam palpitationis efficientem & activam in corde ipso quærendam non esse. *Assignent*, inquit, *an hoc in systole ejus,*

*aut*

*aut diastole fiat, certè non prius, quia dùm cor contrahitur, autopsiâ patet molem ejus quoad omnes suas partes minui, nec magis in diastole dicatur, quoniam in eo statu, cor ad situm, & magnitudinem tantummodò naturalem, & ordinariam redit, inque eo aliquantulum manet. Hinc si quidem cor juxtà vibrationis suæ, quantumlibet auctæ, aut intensæ leges, adeò palpitare, & exilire nequit (quod etiam ampliùs constat, quoniam in paroxismo febrili, ubi vehementissimè pulsat, non extrà salit, & costas percutit.)* Receptas igitur opiniones sic confutando, Lectores sensim disponit, ut inauditam theoriam ab eo expectent, novamque sese daturum memorati phœnomeni explicationem exindè magis confirmat, quòd propriam sui refellat hypothesim, quâ olim asseruerat cordis palpitationem à motu ejus convulsivo, & ordinario planè diverso esse deducendam. Non ergò ampliùs dubitandum est, quin nova prolaturus sit Willisius & reverà immediatè sequuntur ista verba. *Quapropter super hâc re seriò magis cogitanti, DEMUM animo occurrit, &c.* (44.) Ergò Lector facilè animadvertit nihil ibi ad perspicuitatem deesse, & nulla omisisse willisium ex eis quibus sibi nova proponenti attentionem Lectorum conciliaret, suumque posteà sentiendi modum disertissimè exprimit, uti patet multiplici citato textû, (42. 43. 44.) & adhuc apertiùs suam opinionem exponit: ubi enim semel notavit palpitationem, à pluribus, variisque omninò causis induci posse; addit statim. *Utcumque tamen, licet morbus iste à causis diversis exoriri possit, in iis tamen omninibus eamdem usque afficiendi rationem esse judicamus*, moxque subjungit causam illam esse palpitationis *causam conjunctam, sive rationem formalem:* quæ ut ulterius dilucidentur, modos, aliasque causas inquirit, quibus ejusmodi affectio produci solet, & in singularum ex illis causis explanatione, ad eamdem semper redit theoriam, ità ut sibi semper constare videatur, causamque quam excogitavit, iterùm, & iterùm inculcare Lectoribus nitatur. Sic legi merentur quæ tradit egregia, circà palpitationem à vasorum cordi appensorum vitio dependentem, circà eam cui Virgines chlorosi laborantes, atque Viri, aut

Mulieres, cachectici plerumque obnoxii sunt, Ità ut insultum ejus à corporis quovis motu citatiore ferè constanter pati soleant; circà eam pariter quæ plerisque passioni hypocondriacæ, hystericæ, aut aliàs spasmodicæ multum obnoxiis frequenter, & familiariter accidit; circà illam adhuc quæ à sanguine intrà cordis sinus, & vasa appensa grumescente, ac in frusta quasi carnea concreto procedit; & demùm circà eumdem affectum, cum à timore, tristitiâ subitâ, pudore, amore, aliisque animi pathematis inducitur. Nullum è memoratis exemplis est, in cujus elucidatione *eamdem causam conjunctam, sivè rationem formalem* non advocet, ità ut à propositâ semel viâ numquam discedat, sicque multiplicis exempli varietate opinionem suam in clariori lucè reponat, & semper demonstret apertiùs sese nullam aliam palpitationis causam agnoscere; uti peremptoriè adhuc evincit locus præcitatus. *Utcumque tamen licet morbus iste, &c.*

XLVI. Verum ut firma hæc argumenta summum demonstrationis gradum attingant, notare adhùc liceat Willisium observationibus, & Cadaverum apertione suam opinionem fulciisse. Sic observationem refert Theologi qui, *postquam palpitationi cordis per crebras vices modò spontè, modò occasionaliter obnoxius degisset, tandem eâ continuè dies & menses à morbi molestissimi assiduitate attritus, factum obivit, & in cujus aperto Cadavere cordis sinus dexter mox sanguine concreto tumidus apparuit cujus item auricula in immensum aucta & extensa cruoris grumosi copiam ingentem continebat.... In eodèm Cadavere pulmones summè, obstructi, & cruore atro extravasato, & ubique stagnante infarcti, reperti sunt.* Eâque observatione relatâ, aptas exindè consequentias elicit, quibus ulterius elucet illius opinionis veritas. Sic etiam refert observationem *Senis cerevisiæ fortioris ac vetustæ, nec-non vinorum potui crebro à multis annis assueti, in cujus Cadavere deprehensus fuit arteriæ magnæ truncus mox à cordis egressu planè osseus, seu potiùs saxeus, ejusque latera valde compressa erant ut rimâ tantùm relictâ sanguis vix per dimidium quò debebat torrentem effluere posset, proindè ut huic causæ palpitationem cardia-*

*cam ei ſæpiùs moleſtam meritò adſcripſerit.*

XLVII. Nunc verò cum tot exiſtant adversùs Antagoniſtam rationum momenta, quærere ab illo liceat, quânam ratione adductus aſſeruit (p. 24.) Williſium cauſam palpitationis expoſitam *conjecturâ & fide aliquâ tantum proſecutum fuiſſe, admodùm mancè & obſcurè?* Et quod graviùs eſt, quare novum, & nondùm ab eo tentatum adhibens medium, errore adeò manifeſto illudi ſe paſſus fuerit, vel ſi verè eo non fuerit illuſus, quare alios fictis imaginibus ludere velit? Adverſarius enim in Lectorum animos infundere nititur credidiſſe Villiſium eſſe ipſiſſimam baſim cordis quæ latus ſiniſtrum feriat in palpitatione, quem errorem, *ni vehementiſſimè fallitur*, admittit Williſius: Etenim *baſis cordis ob ſanguinem ibi coacervatum, &c.... atque propter auriculæ molem magis tumida ampliùs evibrat, & latus attollit* (44) ut autem omnibus reſpondeamus, nonnè advertit Antagoniſta baſim cordis tumidam, ideò in ſenſu Villiſii palpitationem producere, quia amplius evibrando cor reverberat, totam illius compagem concutit, ſicque latus attollit, & palpitationem infert. Relegat Adverſarius textus omnes præcitatos (44. 45. 46.), & ſpem extremam deponat quam in novâ hâc, neque hactenùs prolatâ ideâ vix credo eum habuiſſe.

XLVIII. Conſtat ex dictis veritas propoſitionis circà Villiſium allatæ: nunc verò huic ſcripto finem impono, & affirmo me nil deinceps de hiſce argumentis Typis mandaturum: invitùs enim ad ſcribendum impulſus fui, qui quantum viri ſapientes ab æſtuantibus animis, & inquietis ingeniis ſint alieni probè novi; & certè, licet omnibus conſtaret me repetitis vicibus ab Adverſario laceſſitum fuiſſe, vix exindè commotus, nihil unquam niſi ex Cathedrâ reſpondiſſem, niſi Officii ratio, & memoratæ rationes (14.) reluctantem me coegiſſent: Cùm autem jam munus meum obierim, & pro viribus veritatem defenderim, ſilentium mihi impero, remque totam Judicibus integerrimis committo.

FINIS.